



§. XVI.

Quum itaque Cometæ regularem observent motum. (§. 9.) Quum insuper sua in orbita currant (§. 10. & 11.) & statis temporibus recurrant, (§. 12. & 13.) quemadmodum ceteræ stellæ errantes. Quum deniq; proprio non gaudeant lumine, idq; omne a Sole participant (§. 15.) veluti Planetæ: jure optimo concluditur, Cometæ esse sidera errantia mundo coæva, & naturæ Planetarum quam proxime adfinia.

§. XVII.

Ij ipsi autem Cometæ modo adparent, modo disparent. (§. 1.) Non comparent, quamdiu in aphelio, seu in superiori orbitæ suæ parte versantur, quia tunc a terra sunt nimis remoti. Latent etiam, dum suo in perihelio per Solis viciniam transeunt, quoniam ob nimiam radiorum solarium, quibus imerguntur, copiam videri haut possunt, & ex hac ipsa ratione de die manent absconditi, minus enim illorum lumen a majori Solis luce vincitur. E contrario nostro conspectui se sistunt, dum in regione Planetarum noctu circa perihelium versantur.

§. XVIII.

Hinc Cometarum vicissitudo in adparendo, & disparendo ea est. Noctu adparent, dum in regione Planetarum descendunt, & nobis viciniore sunt, si autem proxime ad Solem accedunt, evanescent. At iterum in conspectum prodeunt, dum in regione Planetarum a Sole recedunt, & sursum ascendunt, ubi denuo se nostris subducunt oculis ob nimis auctam scilicet illorum a terra distantiam. Quoniam vero diutissime in superiori orbitæ suæ parte a terra nimis remoti volvuntur Cometæ, rarissime conspiciuntur.

§. XIX.